

INTRODUCTIO

I. De Aloisio Lippomano nuntio eiusque sociis.

Aloisius (sermone Veneto Alvisae vel - ut ipse epistulis suis Italicis subscribere solebat - Aloyse)¹ Lippomano Venetiis anno 1496, tamquam nothus seu filius non legitimus Bartholomaei Lippomano, patricii Reipublicae Venetae, natus est². De familia futuri nuntii in Polonia parum hucusque investigatum est hanc potissimum ob causam, quod Lippomani, qui X saeculo in eunte ex Euboea insula Venetias advenisse feruntur³ et prima parte saeculi XVI summum culmen fortunae et honorum in patriciatu Veneto consecuti sunt, altera eiusdem saeculi parte in variis locis Reipublicae sparsim conderunt, ubi in re publica administranda graves magistratus gerebant⁴, propterea in praecipuis tabulariis Venetis non nisi raras et confusas de eis mentiones invenire possumus, ita ut Aloisio fere coevus auctor "Stemmatum gentilium patriciatu Veneti", Marcus Barbaro, et insignis inscriptionum Venetarum collector Emmanuel Antonius Cicogna, qui saec. XVIII vixit, cum genealogiam Lippomanorum stabilire ac certam facere niterentur, errores vitare non potuerint⁵. Quos quidem corrigere conatus est Laurentius Tacchella,

¹ In omnibus epistulis Italicis ex Polonia datis utitur abbreviatione "A", quam solvimus ex nomine explicito exarato, quo litteras ad card. Carolum Carafa 16 II 1558 datas subscripsit (or. BV, Barb.Lat. 5715 f. 33r-v).

² "Fiol natural di sier Bartolomio Lipomano" (Sanudo XXXVI, p. 473). Aloisio, uni ex maxime conspicuis et eximiis hominibus illius aetatis, qua contra reformationem Lutheranam ex parte catholica pugnari coeptum est, accuratior atque exploratior vitae descriptio hactenus dedicata non est. Optime procul dubio vitam eius, breviter et concise, narravit Helmodus Goetz in prooemio ad editionem eius epistularum ex comitiis Imperii Augustae a. 1555 celebratis, quas in itinere suo in Poloniam scripsit (Goetz NBD 1/17, p. XXIII-XLI). Ex prioribus notanda nobis videtur brevissima vitae eius descriptio, a Iosepho Alberigo concinnata (op. cit., p. 74-76). Quod attinet ad annum, quo natus est, Alberigo et omnes reliqui, praeter H. Goetz, antiquioribus testimoniis usi, eum a. 1500 natum esse volunt. Attamen in lapide sepulcrali, nunc partim deleto (a Tacchella ex Ughelli exscripto, PEV, p. 30), ante annum mortis 1559 scriptum legitur: "vixit annos LXIII". Quod ipse nuntius confirmat, qui 14 XI 1555 ad aepum Dzierzgowski scripsit se 60 annos natum esse (cfr. N. 53).

³ Cfr. Goetz NBD 1/17, p. XXIV: "Ex Nigroponte" eos Venetias venisse scribit historiographus Venetus Alexander Zilioli (*Le due corone della Nobilità Viniziana*, T. 1 f. 141v-142v (Venezia, BM, Ms. It. VII 4 (7925)).

⁴ Thomas, frater Aloisii, fuit praefectus Feltriae (cfr. testamentum eius, editum a Tacchella PEV, p. 10), eius filius Bartholomaeus - praefectus Tarvisii (Treviso, cfr. *Relazioni dei rettori Veneti in Terraferma*, dir. Amelio Tagliaferri, T. 3: *Podestà e capitanato di Treviso*, p. 70) et Vicetiae (cfr. Venezia, BQS, classe IV, ms. 31), quidam Lippomanus a. 1556 reginam Bonam sollemniter Sacelli (Sacile) salutavit (cfr. Cini, p. 31). Accuratius exploranda esse videntur vincula, quibus familia Lippomanorum cum oppido Utino in Agro Foroiliensi (Udine) coniuncta erat, ubi hereditariam fere commendam habuerunt Ordinis Hospitalarii S. Ioannis Hierosolymitani (vide plura diplomata in: Venezia, BQS, classe I, ms. 28).

⁵ Vide Venezia, AS, M. Barbaro, Arbori de patritii Veneti, IV f. 277r. Cicogna duorum tantum huius gentis membrorum, saec. XV viventium, lapides sepulcrales reperiit (cfr. *Delle iscrizioni veneziane*, raccolte ed illustrate da Emmanuele Antonio Cicogna, T. 1, Venezia 1824, p. 38 et 47). Lippomanos, qui saec.

sed conatum eius exitus⁶ non concordat cum iis, quae ipse Aloisius de familia sua scripsit⁷ et quae in diplomatibus gentilicis Lippomanorum legi possunt⁸, quorum Tacchella nullam habet rationem. Reperta autem ab eodem auctore testamenta genitoris nuntii nostri, Bartholomaei, et unici fratris Thomae, certo statuere nobis permittunt illorum tabernam argentariam in vico Sanctae Fuscae sitam fuisse, non procul ab ecclesia, hodie non existente, S. Mariae Servorum, in qua familiae suae sepulcrum habuerunt⁹. Ex singulari etiam cura et sollicitudine, qua Bartholomaeus ultimae voluntatis suae executoribus commendat servam nomine Martham, omnia fausta ac felicia ei exoptans, coniecturam facere possumus illam fortassis fuisse matrem Aloisii, cui etiam - tum adhuc minori (nam testamentum a. 1505 confectum erat) - de aliquo beneficio ecclesiastico prospicere cupit, summam 100 ducatorum annui redditus adferente, ut filiulus dignam ac decoram educationem suo tempore consequi possit¹⁰. Hoc patris mandatum futuri nuntii familiares, cum quibus se usque ad finem coniunctissimum sentiebat¹¹, cum faenore adimpleverunt. Aloisius cursum studiorum sine negotio absolvere potuit Patavii (vel Romae)¹², fruens redditibus ex canonicatu Bergomensi, quem vel a patruo Nicolao, annis 1512-1516 episcopo Bergomensi, vel ab eius annis 1516-1544 successore, patrueli Petro, accepit¹³.

Non tardius quam a. 1522 Aloisius Romae, in comitatu patris sui Hieronymi, patris Petri, commoratur ibique cursum honorum et dignitatum ecclesiasticarum incipit. Inde ab exordiis pontificatus Clementis VII usque ad eius mortem et a principio pontificatus Pauli III (ad a. 1535) semper - exceptis paucis intervallis - inter comites et adiutores papae versatus est¹⁴. A. 1524 nominatus est episcopus Traguriensis in Dalmatia (si affirmatio Marini Sanudo, nullo alio fonte roborata, vera est)¹⁵, quae tamen nominatio ad effe-

XVI vixerunt, saepe quidem memorat, sed qui fuerint, vix statuere potest, id quod opinionem nostram confirmat eos extra urbem Venetiarum quaerendos esse.

⁶ Cfr. emendatam eius tabulam genealogicam et historias aliquorum gentis Lippomano membro in PEV, p. 177-178.

⁷ Vide N. 100.

⁸ Quae servantur Venetiis in Bibliotheca Querini Stampalia, classe I, ms. 28-29 (cfr. eorum descriptionem in capite 2 huius introductionis).

⁹ Tacchella PEV, p. 10.

¹⁰ Ibidem, p. 10.

¹¹ Quae res eo etiam confirmatur, quod nepotes Aloisii in curia eius Veronensi et in Polonia, cum munere nuntii ibi fungeretur, versatos esse videmus, et quod ipse enixe conatus est, ut nepos eius Augustinus coadiutor Veronensis nominaretur (cfr. infra).

¹² Universitas (vel schola), in qua Aloisius studia sua absolvit, ex coniecturis tantum, cum alii fontes desint, stabiliri potest. Goetz, qui adducit tum opinionem Iosephi Alberigo de Patavio, tum Caroli M. de Witte coniecturam de Roma, tamquam locis, ubi Lippomanus studiis litterarum operam dabat, utramque hanc urbem hac in parte probabilem esse censet (cfr. NBD I/17, p. XXV).

¹³ Goetz NBD I/17, p. XXV (qui suo iure opinatur Aloisium canonicatum illum multo ante accepisse, quamvis id primum a Sanudo non nisi a. 1528 memoratum sit).

¹⁴ Cfr. commentarium H. Goetz ad epistulas, per Marinum Sanudo asservatas, quas Aloisius illo tempore ad familiares suos dedit (ibidem, p. XXV-XXVI).

¹⁵ Sanudo XXXVI, p. 473.

ctum adducta non esse videtur, nam a. 1529 evehitur ad dignitatem, episcopali inferiorem, protonotarii apostolici et a. 1535 secreti camerarii pontificii¹⁶. Non prius quam 23 IX 1538, haud dubie accedente auxilio familiarium et favore card. Ioannis Petri Carafa, postea summi pontificis Pauli IV, Aloisius promovetur ad munus coadiutoris patruelis sui Petri Lippomano, episcopi Bergomensis. Inde 7 II 1539 secuta est eius nominatio in episcopum titularem Motonensem¹⁷. Consecrationem episcopalem e manibus eiusdem cardinalis Carafa Romae suscepit¹⁸.

Die 21 V 1542 a. Lippomano munus commissum est regem et episcopos Lusitaniae ad concilium generale Tridenti celebrandum invitandi¹⁹. Ex qua missione non prius quam primo vere a. 1546 domum revertisse videtur²⁰. A mense Aprili eiusdem anni usque ad Concilii Tridentini Bononiam translationem eiusque primae partis ibi a. 1548 conclusionem, Lippomanus in consultationibus conciliaribus naviter et operose interfuit²¹, tum iam coadiutor Petri Lippomano in dioecesi Veronensi, ad quam mense Februario uterque Bergamo translatus est²². Postquam 9 VIII 1548 Petrus Lippomano diem suum obivit, Aloisius suo ipsius arbitrio dioecesim Veronensem administrare coepit, strenue et acriter obsistendo reformationi Lutheranae (instituendo etiam processus contra haereticos) et in reformandis atque emendandis rebus Ecclesiae praedecessorem suum, Ioannem Matthaeum Giberti, imitando²³. In ipso tamen huius actionis exordio nova missio publica ei concredita est, quam nunc in Germania obire debuit. Nam 31 VIII 1548 a., una cum Sebastiano Pighino, nominatus nuntius extraordinarius, per duos annos progressus Lutheranismi frenare ac compescere conabatur, imperatorem Carolum V et principes Germaniae ad rigidiorum et severiorem actionem contra eius fautores incitabat, visitabat dioeceses etc.²⁴. Septem fere mensibus post reditum ex Germania, 4 III 1551, Lippomanus - suasore card. Marcello Cervini - nominatus est unus ex tribus legatis pontificiis ad secundam convocationem concilii generalis Tridenti indictam²⁵. Postquam mense Aprili anno

¹⁶ Goetz NBD I/17, p. XXVI.

¹⁷ Gulik-Eubel HC III, p. 132, 251. Tacchella (PEV, p. 11) adducit decretum consistorii de 24 (non 23) IX 1538, in quo legitur etiam de dispensatione "super defectu natalium, quam Aloisius petit". De auxilio in hoc negotio a card. Ioanne Petro Carafa ei lato cfr. N. 122, et de eius "amore che ha sempre mostrato in particolare a Casa Lippomana" in N. 3.

¹⁸ Vide N. 11 et 122.

¹⁹ Jedin GKT I, p. 368. Commercium epistularum cum hac missione coniunctum edidit De Witte (op. cit., p. 399-456).

²⁰ Primam sollemnem missam celebravit in ecclesia cathedrali Veronensi non nisi tempore paschali a. 1546 (cfr. breve Pauli III ad Lippomanum, 15 III 1546 datum, in AV, Arm. 41, ms. 49 f. 117r).

²¹ Cfr. Jedin GKT II, p. 74 et passim.

²² Cfr. Gulik-Eubel HC III, p. 132.

²³ Cfr. Gulik-Eubel HC III, p. 331. De actione pastoralis et processibus haereticorum, cfr. Tacchella PEV passim. Cfr. A. Prosperi, *Tra evangelismo e controriforma. G. M. Giberti (1495-1543)*, Roma 1969.

²⁴ Accuratio huius legationis descriptio habetur apud Goetz, NBD I/17, p. XXVIII-XXIX.

²⁵ De hac eius nominatione et opera cfr. Jedin GKT III, p. 238 et passim.

1552 concilium interruptum erat, in dioecesim suam rediit eamque ipse coram administrabat, usque dum nuntius in Polonia nominatus est.

Lippomanus, iam cum Romae vitam degeret, in exploranda opera Patrum animum intendisse videtur, idque ea mente, ut eis deinde in confutanda doctrina Lutheri uti posset. Primus itaque suorum hac in parte studiorum fructus fuit opus, quod *Catena in Genesim ex authoribus ecclesiasticis plus minus sexaginta, aliisque partim Graecis, partim Latinis connexa, auctore Aloisio Lippomano, Metonensi episcopo, coadiutoreque Veronensi*, inscribitur et Lutetiae Parisiorum "in officina Carolae Guillard" a. 1546 typis impressum est²⁶. Magis notae tamen et celebres sunt eius vitae sanctorum antiquitatis christianae, quas hortante card. Marcello Cervini componere coeperat. In perquirendis vetustis harum vitarum manuscriptis Lippomanus socios sibi adiunxit celeberrimos illius aetatis litteratos et antiquitatis studiosos, inter alios Gentianum Hervetum et Gulielmum Sirletum²⁷. Hoc modo hominibus Occidentis primum dabatur potestas cognoscendi i.a. vitas sanctorum Simeonis Metaphrastae, *Martyrologium Adonis* et *Pratum Spirituale* Ioannis Moschi in versione Latina Ambrosii Traversari, cuius manuscriptum typis non editum in Bibliotheca Vaticana a Lippomano repertum est²⁸. Hae omnes vitae, ab illo in linguam Latinam conversae "ac per eundem in [8 voluminibus] collectae, cum solitis scholiis adversus praesentium haereticorum delirationes"²⁹, in communem editionem *Sanctorum priscorum Patrum vitae* nuncupatam (t. 1-5, Venetiis 1551-1556, t. 6-8, Romae 1558-1560) insertae erant. Quod opus postea fundamentum fuit celeberrimorum operum *Vitae sanctorum* Laurentii Surii et deinde Bollandistarum³⁰. Notandum est quintum huius operis librum Lippomanum in Polonia ad finem deduxisse³¹, ubi etiam saltem duos sequentes complendos et concinnandos curavit³².

Pugnax et contentiosum et tum certo notissimum opus Lippomani erat tamen *Confirמצione e stabilimento di tutti li dogmi cattolici, con la subver-*

²⁶ Unicum huius operis exemplum a L. Tacchella in Bibliotheca Civica Bergomensi repertum est (imaginem tituli vide apud Tacchella PEV, post p. 64).

²⁷ Cfr. Pio Paschini, *Un cardinale editore: Marcello Cervini*, in eiusdem: *Cinquecento Romano e riforma cattolica*, Romae 1958, p. 209; idem, *Guglielmo Sirleto prima del cardinalato*, in eiusdem: *Tre ricerche sulla storia della Chiesa nel Cinquecento*, Roma 1945, p. 235-237.

²⁸ Cfr. Eugenio Mioni, *Le "Vitae Patrum" nella traduzione di Ambrogio Traversari*, "Aevum", 24 (1950), p. 327. De vitis Metaphrastae vide Henri Delehaye, *Les ménologes grecs*, "Analecta Bollandiana", 16 (1897), p. 312-313.

²⁹ Ex titulo sexti voluminis, ed. Romae, "Ex Officina Salviana MDLVIII".

³⁰ Etsi "l'intreccio tra finalità pastorali e esigenze culturali ha finito per dare un prodotto scarsamente riuscito" (Boesch Gajano, p. 127).

³¹ Cfr. dedicationem Ferdinando regi Romanorum inscriptam Varsaviae 10 X 1555 (N. 43).

³² In introductione ad secundam partem septimi voluminis scribit se a Sirleto petiisse, ut ex manuscripto in Crypta Ferrata asservato illas partes Metaphrastae Latine redderet, quae in manuscriptis Vaticano et Veneto desunt, "ed egli me le inviò nel regno di Polonia, dove ora mi trovo". Cfr. etiam litteras Lippomani ad Sirletum 24 II 1557 scriptas (or. BV, Vat.Lat. 6189 f. 373r) et dedicationem Paulo IV inscriptam ad volumen sextum.

sione di tutti i fondamenti... dei moderni heretici (Venetiis 1553)³³. In quo opere, sicut in tota actione sua hactenus impensa, Lippomanus durum et severum Lutheranorum adversarium se ostendit³⁴.

Haec ipsa severitas ac durities erga haereticos, accedente etiam fama, quam sibi comparaverat, cum munere nuntii in Germania fungeretur et Concilio Tridentino praesideret, appropinquantibus comitiis Petrcoviensibus ad 1555 a. indictis, quae verum religionis bellum denuntiari videbantur, Stanislao Hosio, episcopo Varmiensi, ansam dabant a Iulio III petendi, ut non alium nisi Lippomanum in Poloniam mitteret³⁵. Cuius quidem ad nuntiaturam Poloniam nominatio 13 I 1555 facta erat, sed mors summi pontificis 23 III 1555 superveniens eam subito irritam fecit, similiter ac Marcelli II obitus 1 V eiusdem anni confirmationem eius abrogavit³⁶. Tandem clades episcoporum, quam in supramemoratis comitiis passi sunt (cum scilicet iurisdicatio eorum in haereticos ad interim suspensa esset), et gravissima petitio 21 V 1555 "ad summum pontificem eligendum" facta effecerunt, ut Paulus IV (23 V ad Petri cathedram electus), nondum transacto uno post electionem suam mense, episcopum Veronensem ad obeundum munus nuntii in Polonia tertium nominavit³⁷.

Nominatio Lippomani³⁸ a catholicis magno cum plausu accepta est. Hosius tum etiam scripsit: "Iam inde a 600 prope annis, ex quo tempore Christi

³³ Accuratum summarium et explicationem huius operis scripsit Fridericus Lauchert (vide eius *Die italienischen literarischen Gegner Luthers*, Freiburg im Br. 1912, p. 569-584).

³⁴ Cfr. opinionem Jedin GKT III, p. 238.

³⁵ Propositum de negotio religionis in comitiis deliberandi, ab epo Cracoviensi Andrea Zebrzydowski a. 1554 factum, suasore Hosio reiectum est et in eius locum decretum, ut in synodum ad mensem Iunium a. 1555 indictam, etiam evangelici vocarentur (vide fusius apud Wojtyška PP, p. 45). Cfr. A. 1.

³⁶ Vide N. 1, cfr. N. 26 et Wojtyška PP, p. 45.

³⁷ Breve nominationis Lippomani non est asservatum. Quod vero a Raynaldo sub dato 13 VI 1555 publicatum est (T. XIV, p. 572), est breve Iulii III 13 I 1555 datum, in quo editor - rei ignarus - "emendavit" nomen papae et nomen mensis "correxit" (vide notam de origine documenti ad N. 1). Neque est primum breve nominationis illud, quod dato 6 VII (N. 9) praeditum est, nam priorem nominationem iam factam - testantur litterae Ioannis Carafa 2 VII datae, quibus etiam munus Augustae obeundum ei conceditum erat (cfr. N. 4).

³⁸ In explorandam nuntiaturam Lippomani, quae plerumque pro prima stabili ac permanenti nuntiatura apostolica in Polonia habetur (non tamen prima in serie modernarum legationum pontificiarum in regione illa expletarum, cfr. Wojtyška PP, p. 47-53 et Wojtyška ANP II passim), propter pondus ac momentum, quod in componendis et minuendis controversiis religionis habuerat, viri docti historiae studiosi iam inde ab exeunte saec. XIX animum induxerunt. Praeter exploratores historiae reformationis Poloniae (quam describere et accuratius explanare in libris suis Vincentius Zakrzewski, Iulianus Bukowski, Theodorus Wotschke, Godefridus Schramm temptaverunt) et pontificatus Romani (Pastor SP VI, p. 524-529), specialem investigationem et studia dedicarunt ei Franciscus Flaczyński, Ceslaus Frankiewicz et occasione perquirendae et explicandae instructionis nuntii et eius facultatum, quas prorsus ignotas esse existimabat - Helmodus Goetz (NLP, omnino ignorat studia supramemoratorum auctorum, praeter Wotschke et Pastor). A. 1977, omnibus, ad quos patet aditus, fontibus Polonis, Vaticanis et praesertim registro cancellariae Lippomani Septimaniae conservato usus (vide infra descriptionem fontium), completam huius nuntiaturae descriptionem in libro meo de papatu Romano et Polonia scripto collocavi (cfr. Wojtyška PP, p. 65-104 et passim). Copia huius commentarii, aliquot scriptis ex codice Barb. Lat. 5715 sumptis suppleti, est dissertatio Laurentii Tacchella *Paolo IV e la nunziatura in Polonia di Luigi Lippomano Vescovo di Verona, 1555-1557* (PNPL), quae - praeterquam quod longiores locos in adnotationibus adducat, ubi ego lectorem ad fontes solum remitto - imaginem nuntiaturae Lippomani adhuc deterio-

recepit Evangelium, nullum ex legatis apostolicis vidit Polonia neque sanctiorem neque doctiorem"³⁹. Ipse tamen recens nominatus nuntius eandem nominationem paulo secus accepit. Qui sibi omnino conscius fuit regem et episcopos se ad colloquium de negotio religionis, illis simile, quae tunc in Germania celebrabantur, vocaturos esse⁴⁰. Et quamquam in instructione a cardinalibus regni Poloniae protectoribus, Alexandro Farnese et Iacobo Puteo, apparata ei commissum erat, ut imprimis curaret, ne ad eiusmodi colloquium deveniretur, propter timorem, ne in concilium nationale commutaretur⁴¹, Lippomanus tamen, cum 7 VII 1555 Veronae de nominatione sua certior factus esset, ex vestigio postulavit, necessitatem "boni consilii" sicut causam adducens, ut duo praestantissimi theologi, Societatis Iesu sodales, Alfonsus Salmerón et Iacobus Laynez, sibi adiutores adderentur⁴². Ex quibus solum Salmerón (cum socio patre Godefrido Cervati) ei datus erat, sed ne ille quidem mox post adventum in Poloniam necessarius esse visus est, ita ut - postquam mense Novembri a. 1555 Vilnam visitaverat - diffidenti et alieno in Polonos animo ductus atque hieme Polona exacerbatus, Romam discessit⁴³. Itaque ex omnibus theologis unus Iosephus Cremonensis, alias prorsus ignotus, penes nuntium remansit⁴⁴.

Reliquos "familiares" suos Lippomanus in ipsa Verona conquirebat. Sic auditor nuntiaturae factus est vicarius eius in dioecesi Veronensi atque delegatus apostolicus in processibus de haeresi a. 1550 celebratis, origine Venetus, iuris utriusque doctor, Iacobus Livrieri, nuntio singulari necessitudine iunctus, qui nuntiatura eius durante quibusdam secretis negotiis bis, mense Novembri 1555 et Martio 1557, Romam missus est⁴⁵. Etiam postquam ex Polonia redierat, cum Lippomano remansit. Mense Novembri a. 1557 Paulus IV - haud dubie suo olim in Polonia nuntio hortante - ad regem Romanorum Ferdinandum in Austriam eum misit, "ut impiorum Vormatiae coetum, iam inter se divisum, penitus dissolveret"⁴⁶. Qua missione expleta, primis mensi-

facit erronea versione earum partium libri mei, quae ad res Polonas referuntur, quas auctor omnino non intellegit. Quamobrem hoc opere auctoris Itali hic prorsus usus non sum. Usurpavi autem aliud opus eiusdem Tacchella, quod actionem Lippomani ante munus nuntii in Polonia expletum melius illustrat, cum de opera eius in dioecesi Veronensi impensa fusius disserat (PEV). - In hac praesenti editione rationem habere volui novorum quorundam documentorum, quae cum de historia diplomatica a. 1975/77 scriberem ignorabam, et aliquot errores ibi commissos, i. a. datum nominationis Lippomani, emendare potui.

³⁹ Rescius HO I, 419. Opiniones aliorum vide Wojtyska PP, p. 67-68.

⁴⁰ Vide A. 1 et 4, cfr. Frankiewicz SZA, p. 266.

⁴¹ Cfr. N. 25.

⁴² Vide N. 11.

⁴³ Cfr. N. 17, 39, 65 et A. 12.

⁴⁴ Vide A. 12.

⁴⁵ Vide N. 56, 65, 121 et A. 12. De eius actione in dioecesi Veronensi vide Tacchella PEV, p. 14 et 100. Livrieri originem duxit ex modesta mercatorum Venetorum familia, qui prima parte saec. XVI primos gradus opulentiae ascendebant (cfr. Sanudo LIV-LVIII passim).

⁴⁶ Vide brevia consilii regis eum commendantia, 14 XI 1557, in AV, Arm. 44, ms. 2 f. 99r, 100r.

bus a. 1558 Romam rediit, ubi unum non integrum mensem ante Lippomanum, 23 VII a. 1559 diem suum obiit⁴⁷.

Munus cancellarii, id est notarii nuntiaturae, Lippomanus commisit Francisco Varugola⁴⁸, eidem fortassis, qui a. 1550 in processu haereticorum Veronensium memorabatur tamquam "Carolus Varugola, filius quondam Francisci, Veronensis, notarius et curiae episcopalis Veronensis cancellarius"⁴⁹. Ignoramus autem, qui munere secretarii functus sit. Praeter officiales nuntiaturae Lippomanum in Poloniam proficiscentem tres - secundum secretarium regium Lucam Górnicki - nepotes, duo saeculares et unus ecclesiasticus, secuti sunt⁵⁰. Ex ipsius tamen nuntii verbis conici potius potest illos non nisi duos fuisse⁵¹. Sed quales fuerint isti, etiam coniecturis tantum niti possumus, quoniam nuntius, quamvis saepius eos memoret, nunquam nomina eorum adducit. Veri tamen est simillimum eos fuisse Augustinum et Ludovicum Aloisium⁵². Comitatum nuntii, 30 personis et 20 equis constantem, hospitorum curator, raedarius et famuli privati adimplebant⁵³. Ad quos omnes alendos nuntius, una cum viatico, 1000 scutatos nummos accepit, reliqua a se persolvere coactus, pecuniam mutuam a nepote Bartholomaeo Lippomano Venetiis habitante, postulando⁵⁴.

Lippomanus, cum toto hoc comitatu, iam 14 VII 1555 Verona in Poloniam profectus est. Quae profectio, quamquam nuntius ex hernia laborabat, accelerata est, nam ex itinere ad comitia Imperii Augustam devertere et vigilare debuit, ne ad concessionem quasdam in favorem haereticorum ibi deveniretur⁵⁵. Quo pervenit 22 VII, adhuc ante pacem illam in negotio religionis initam, per quam in regionibus imperatori subiectis Lutherani cum catholicis in iuribus coaequari debebant. Lippomanus tamen nullo pacto impedire potuit, quominus concluderetur, quamvis per mensem et duas fere hebdomadas apud Ferdinandum regem Romanorum institerit, ne hoc permetteret⁵⁶. Sed cum negotia Germanica Augustae expedienda curaret, nuntius noster non obliviscebatur principale munus sibi in Polonia esse obeundum, quapropter iam in Germania de rerum statu in Polonia modis omnibus edoceri conabatur, et quidquid hac in parte cognoscere potuerit, Romam mittebat, significans imprimis inquietos rumores de praeparamentis et tumultibus "prote-

⁴⁷In *Necrologio Romano* asservata est inscriptio: "1559, 23 Luglio † [livrierio], Auditore di Mons. da Bergamo. Sepolto in Campo Santo" (BV, Vat.Lat. 7871 f. 182r, cfr. Wojtyska PP, p. 197).

⁴⁸Postea apparabat acta processuum episcoporum Drohojowski et Zebrzydowski (vide A. 18 et 19).

⁴⁹Cfr. Tacchella PEV, p. 95. Cfr. Wojtyska PP, p. 198 (ubi data occasione corrigo errorem, ad munus cancellarii nuntiaturae pertinentem).

⁵⁰Vide Górnicki DKP, p. 87.

⁵¹Cfr. N. 74 (licet tertius etiam prorsus excludi non possit).

⁵²Cfr. N. 74, 100, 122.

⁵³Cfr. N. 38 et 74, A. 12 et Górnicki DKP, p. 87.

⁵⁴Cfr. N. 5, 13, 73. Postea adhuc 500 scutati nummi ei adiecti sunt (cfr. N. 100).

⁵⁵Cfr. N. 5, 7, 12-14, 18.

⁵⁶Cfr. H. Goetz, *Die Vertreter der Kurie am Augsburger Reichstag 1555*, in: *Festgabe Leonhard von Muralt*, Zurich 1970, p. 202-205. Documenta ad actionem Lippomani Augustae spectantia cfr. apud Goetz NBDI/17, p. 95-177.

stantium" ante annuntiatum nationale concilium concitatis⁵⁷. His de causis ei serio demandatum est, ut se nulla interposita mora, adhuc ante comitiorum Imperii conclusionem, in Poloniam conferret. Quod mandatum nuntius noster 29 VIII, una cum instructione et 26 brevibus commendaticiiis ad regem et alios regni Poloniae proceres, accepit⁵⁸.

Post 32 dies molesti itineris, Lippomanus 8 X 1555 Varsaviam tandem advenit, 28 autem eiusdem mensis die apud regem Sigismundum Augustum Vilnae comparuit⁵⁹. Iam ex primis colloquiis cum rege habitis, similiter ex illis, quae prius Varsaviae cum regina matre Bona fecerat, concludere potuit res catholicorum in Polonia "male inclinatas esse"⁶⁰. Ad postulationem enim nuntii, legibus Polonis contra haereticos latis roboratam, ut adversus Lutheranorum duces firmiter ageret, rex invicem respondebat postulando, ut Sedes Apostolica reformationem vitae cleri perficeret et concilium generale, et si id fieri non posset, saltem nationale convocaret⁶¹. Cum nuntius, instructione sua nixus, respondisset se facultates de hac re tractandi non habere, rex constituit oratorem suum, Stanislaum Maciejowski, - cuius profectio per expectationem Lippomani retardata erat - Romam mittere, qui non solum concessionem concilii nationalis, sed etiam communionem sub utraque specie, linguam vulgarem in sacris celebrandis et caelibatus ecclesiastici abrogationem exposceret⁶². Legatio Stanislai Maciejowski, initio mensis Maii Romae expleta, magnum quidem ibi clamorem et admirationem peperit, sed revera repulsam tulit, nulla prorsus concessione a Sede Apostolica impetrata. Dicis tamen causa Paulus IV regem iterum ad nuntium remisit, qui novas in hoc negotio instructiones accepturus erat⁶³. Quas tamen usque ad finem suae in Polonia commorationis non est assecutus, quamquam adhuc mense Iunio a. 1556 easdem postulationes Ioannes Tarnowski, exercituum regni supremus capitaneus, proposuit velut unicam viam atque modum Poloniae et religionis catholicae a bello civili, quod nobilitas, fere ex toto Lutherana facta, minitabatur, conservandae⁶⁴.

Sed cum ab ipso rege Lippomanus nihil consequi potuisset, ad episcopos se convertit eosque semel atque iterum cohortatus est, ut viribus unitis et una voce contra novatores in negotio religionis apud regem et senatum agerent et officia sua episcopalia tam in expugnandis haeresibus quam in cura animarum exercenda diligenter adimplerent. Qua in re sedulo naviterque adiutus a primate Nicolao Dzierzowski, vicecancellario Ioanne Przerembski et

⁵⁷ Vide N. 34 et 37-41, A. 2 et 9.

⁵⁸ Cfr. N. 24-32 et 38.

⁵⁹ Vide N. 42, 44, 48.

⁶⁰ "...son ridotte a malissimi termini", cfr. N. 48.

⁶¹ Cfr. N. 50, 52, 57.

⁶² Cfr. 52, 68, 70, 87. Instructiones edidit Szujski (op. cit., p. 108-110), vide commentarium Frankie-wicz SZA, passim.

⁶³ Cfr. N. 93. Vide amplam descriptionem pertractationum Stanislai Maciejowski apud Wojtyška PP, p. 353-364.

⁶⁴ Cfr. A. 23. Fusius de opinionibus hac in parte Ioannis Tarnowski scribit Dworzaczek, p. 188-194.

praesertim ab episcopo Varmiensi, Stanislao Hosio, qui cum eo omnino consentientes et concordantes erant⁶⁵, hoc propositum suum consequi primum conatus est in conventu senatorum cum rege, qui mense Ianuario a. 1556, occasione profectionis reginae Bonae in Italiam, Varsaviae institutus est⁶⁶.

Colloquia cum primate, episcopis et senatoribus catholicis Varsaviae habita spem faciebant fore, ut res religionis in Polonia pedetemptim in melius mutari possent. Rex enim, communi actione nuntii et episcoporum motus, 22 I 1556 constantiam suam in fide catholica professus est ac licentiam haereticorum prohibere promisit⁶⁷, qui vires suas roborabant credentes se in futuro concilio nationali victores evasuros esse. Ex actis praesertim synodi Seceminensis, diebus 21-29 I 1556 ab evangelicis celebratae, clare patet eius participes omnino certos fuisse, futurum "concillium nationale", praesidente rege convocatum, episcopos, prout "partem ream", iudicaturum et condemnatum esse, novam fidei confessionem editurum et Poloniam a Roma in perpetuum seiuncturum. Cum autem ad haec omnia consequenda necessarium esse existimarent hac in causa regis animum sibi conciliare et doctrina praestantes theologos, Calvinum, Melancthonem, Ioannem Łaski aliosque, ex exteris regionibus vocare⁶⁸, nil ergo mirandum, si Lippomanus, qui haec eorum consilia mature cognoverat, etiam postea, auxilio archiepiscopi Dzierzowski, qui eum ab initio Februarii a. 1556 usque ad discessum ex Polonia in sede sua Lovicii hospitio excipiebat, apud regem instare non desiit, ut "conventicula" haereticorum prohiberet, haereticos peregrinos in Poloniam ingredi vetaret et capitaneis iuberet, ut mandata, auctore vicecancellario Przembski a se contra haereticos lata, exsequerentur⁶⁹. Quoniam vero non ignorabat, quantum in hoc negotio "protestantium" Polonorum caput, palatinus Vilmensis, Nicolaus Radziwiłł "Niger", auctoritate sua apud regem valeret, desperatum sane conatum cepit ad eum ipsum in fidem catholicam rursus convertendum⁷⁰. Sed, proh dolor, omnes illi conatus nullos vel paucos tulerunt fructus.

Feliciorem autem exitum habuerunt temptamina Ecclesiam intrinsecus reformandi. Inter causas, ob quas haec quaestio orta est, adnumerandae sunt non solum regis querelae de negligentia et vita corrupta episcoporum, sed imprimis memorialis libellus capituli Cracoviensis, in synodo provinciali Petricoviensi a. 1551 celebrata propositus⁷¹, qui ad manus Lippomani tunc pervenit. Quae in illo continebatur vitae episcoporum reprehensio ac vituperatio, non solum potissima causa fuit, cur Paulus IV die 23 XII a. 1555 nuntio iniungeret, ut maxime suspecti episcopi Vladislaviensis Ioannis Droho-

⁶⁵ Vide epistulas ad eos datas (iuxta Indicem rerum).

⁶⁶ Cfr. N. 67-68.

⁶⁷ Cfr. N. 70.

⁶⁸ Acta synodi Seceminensis edita sunt a Sipayłło, vide praesertim p. 48.

⁶⁹ Vide praesertim epistulas ad Sigismundum Augustum, 10 II et 3 IV 1556 datas (N. 76 et 86).

⁷⁰ Vide epistolam Lippomani ad eum 21 II 1556 scriptam (N. 81).

⁷¹ Editus a Wisłocki, p. 477-499.

jowski et episcopi Cracoviensis Andreae Zebrzydowski processus celebraret⁷², sed etiam ut obiectiones in dicto memoriali contentae in interrogationes insererentur, quas Lippomanus testibus in processibus deposituris proponendas apparavit⁷³. Cum praeterea nuntius, colloquiis mense Ianuario a. 1556 cum episcopis et capitulorum cathedralium membris Varsaviae habitis⁷⁴, sibi firmiter persuaserit renovationem Ecclesiae Polonae non nisi cum auxilio et opera capitulorum inchoari ac perfici posse, eorum imprimis opem quaerere decrevit. Cum itaque diebus 29 IV - 17 V 1556 a. una cum primate Dzierzowski Maioris Poloniae, Cuiaviae et Masoviae dioeceses visitaret, hoc unum sibi proponebat, ut capitulares coram conveniret eorumque opiniones de reformatione Ecclesiae efficaciter peragenda exquiret⁷⁵. Responsa canonicorum in scriptis porrecta, deinde a Lippomano in unum congesta, sunt procul dubio inter pretiosissima Tridentinae in Polonia reformationis Ecclesiae monumenta adnumeranda⁷⁶, occasionem quoque obtulerunt convocandae synodi provincialis Loviciensis (6-11 IX 1556), reformationem Ecclesiae foventis, in qua sub specie decretorum recepta sunt, praeter confessionem Lovaniensem, ab ipso nuntio propositam veluti firmum responsum ad crescentem in dies confessionum "evangelicarum" numerum, inter quas primum locum obtinebat confessio in comitiis Petricoviensibus a. 1555 recepta⁷⁷.

Sed haec nuntii actio, per quam rex efficaciter coactus est, ut contra Ioannem Łaski, Franciscum Lismaninum et Stanislaum Lutomirski decreta proscriptionis ferret (licet nunquam executioni mandata fuerint) et vehemens atque acerrimus impetus in Ioannem Drohojowski et Andream Fricium Modrzewski, clarissimum scriptorem et litteratum, sub tutela eius manentem, factus⁷⁸, accedente tristissimo ac funesto casu cremationis in rogo Sochaczewiae et Plociae (23 IV et 1 VI 1556) aliquorum, ut credebatur, Eucharistiae profanatorum, Dorotheae Łazęcka et aliquot Iudaeorum Sochaczewiensium (cuius facinoris culpa tam regi et officialibus saecularibus quam primati et nuntio aequabiliter attribuenda erat)⁷⁹, fortissimam et vehementissimam "protestantium" actionem excitarunt, qui multos contra nuntium astutia ac perfidia plenos famosos libellos spargere coeperunt⁸⁰, typis impresserunt et diligenter divulgabant responsum palatini Vilnensis, Nicolai Radziwiłł, ad

⁷² Vide N. 60.

⁷³ Cfr. A. 18 et 19.

⁷⁴ Vide N. 70.

⁷⁵ Cfr. N. 94 et praesertim A. 21. Capitulum Cracoviense interrogatum est per litteras nuntii, quas illi Martinus Cromerus die 29 V 1556 porrexit, vide Bukowski II, p. 358.

⁷⁶ Vide N. 98.

⁷⁷ De rebus in synodo gestis vide N. 113. Cfr. A. 2 (confessionem Petricoviensem reformatam) et A. 30 (confessionem Loviciensem catholicam).

⁷⁸ Vide processum episcopi in A. 18 et commercium epistularum eiusdem Drohojowski cum nuntio (N. 58, 62, 90, 91) et cum papa (A. 25) habitum. Cfr. N. 100.

⁷⁹ Vide N. 95, 100, 101, A 22 et 24. Fusius Wojtyńska PP, p. 82-83 et Tazbir PDL, passim.

⁸⁰ Prolixius de his libellis apud Wojtyńska PP, p. 82-89.

litteras nuntii 21 II 1556 datas⁸¹, inter nobiles autem diffundebant etiam falsam epistulam, quam ad amicum suum Venetum, Petrum Contarini, scripsisse asserebatur⁸². Haec duo scripta vera "fabrica mendacii" dici possunt. Ambo a Petro Paulo Vergerio, vel saltem eius suasu et instinctu (responsum palatini Vilmensis), scripta erant, dum mense Iulio a. 1556 Vilnae commorabatur. Vergerius, ex eiusmodi fraudibus ac fallaciis iam pridem notissimus⁸³, imprimis voluit, ut in responso palatini Lippomanus a. 1548 Carolo V imperatori suator et hortator fuisse ostenderetur, ut haeticorum Germaniae ducibus et protectoribus, Ioanni Friderico duci Saxoniae et Philippo landgravio Hassiae, capita amputari iuberet, et mutato in 1 IX litterarum dato eas typis exscribendas dedit⁸⁴, deinde hoc mendacium usus est ad scribendam vel dictandam memoratam falsam epistulam 21/22 VII ad Petrum Contarini scriptam, cuius datum postea, in versione Italica, in 8 IV 1556 anticipavit⁸⁵.

Tota hac machinatione Vergerius id sibi proponebat, ut nuntium infamia aspergeret, et quod volebat assecutus est. Lippomanus enim, qui post primas titubationes (cum a summo pontifice peteret, ut se ex Polonia revocaret)⁸⁶, sibi tandem persuasit decretum comitiorum Petricoviensium a. 1555 celebratorum, quo iurisdictio episcoporum in haeticos ad interim suspendebatur, abrogari posse, in Polonia manere constituit usque ad conventum senatorum, primum Varsaviae ad diem 24 VIII 1556 convocatum, deinde ad 14 IX et 16 X translatum, denique in regni comitia commutatum, quae 6 XII 1556 inchoata et 15 I 1557 conclusa sunt⁸⁷, pridie huius conventus se omnino ab inimicis circumsaeptum et ab omnibus, etiam a catholicis sibi hactenus benevolis, praeter paucos fidissimos, derelictum videbat⁸⁸.

Nobiles, pro tributis ad bellum cum reliquiis ordinis Cruciferorum in Livonia gerendum decretis, a rege impetrarunt, ut negotium religionis in comitiis ageretur. Constantiae tantum regis et senatorum tribuendum est, si hac concessione evangelicis oblata "interim" in causa religionis ad futura regni comitia procrastinatum est⁸⁹. Nuntius, qui comitiis non interfuit, sperabat partem catholicam multo plus consecuturam esse et huius infortunii, ut sibi videbatur, culpam imprimis in regem Sigismundum Augustum conferebat, quem in relatione finali, in usum summi pontificis 7 III 1557 apparatus, fu-

⁸¹ Vide N. 112. Cfr. commentarium Ignatii Chrzanoski (DL, p. 72-76). Non potui videre articulum d. ni Jorgensen de hac re tractantem, cui titulus *Fejden mellem Lipomano og Radziwill i Wilno 1556*, in opere *Festschrift til Jens Norregaard*, Kobenhavn 1947, p. 96-111 in lucem editum.

⁸² Vide A. 28.

⁸³ Cfr. N. 111 et Goetz NBD I/17, p. 163.

⁸⁴ De qua re iam memorat in litteris 21/22 XII ad Christophorum ducem Wirtembergensem datis, vide Kausler-Schott, p. 135.

⁸⁵ Vide amplam tractationem huius mendacii apud Wojtyska PP, p. 84-87.

⁸⁶ Vide N. 79-80.

⁸⁷ Vide N. 100 et Bodniak WIS, p. 1-11.

⁸⁸ Cfr. Wojtyska PP, p. 97-98.

⁸⁹ Vide Bodniak WIS, p. 4-5.

scis coloribus depinxit, affirmans optimum remedium ad sanandam religionis catholicae in Polonia condicionem futurum fuisse, si rex regno spoliari posset. Episcopos etiam, praeter Hosium, infamare et omni dedecore afficere non dubitavit, quos ad regendam Ecclesiam minime idoneos fuisse censebat⁹⁰. Ne vicecancellario quidem, Ioanni Przerembski, pepercit Lippomanus, quem hactenus unam ex maximis Ecclesiae Polonae columnis existimabat et ad coadiutoriam archiepiscopatus Gnesnensis proponebat ac commendabat⁹¹. In summa, cum postremis diebus Ianuarii anno 1557 ex Polonia discederet, nuntius totam missionem suam ibi expletam cladem et infortunium fuisse putabat⁹². Sed in hoc iudicio suo Lippomanus errasse videtur. Quamquam enim pericula religioni catholicae imminencia avertere et propulsare non potuit, nam pressio atque impetus "protestantium" in vita publica non cessarunt et inconstantia episcoporum immutata remansit (easdemque fere quaestiones successor Lippomani, nuntius Camillus Mentovato, annis 1558-1559 aggredi cogebatur), attamen nuntiatura eius durante factio catholica quodammodo solidata atque obfirmata est et primi gradus reformationis catholicae facti esse videntur. Nam affirmari certo non potest mitiores modos et agendi rationes (Lippomanum enim severissimum fuisse nemo est qui dubitet), rebus religionis tunc summopere perturbatis et quasi candentibus, meliores fructus ferre potuisse⁹³.

Post discessum ex Polonia Lippomanus non recta Romam se contulit. Veronae enim, quo post molestum iter hiberno tempore factum 20 II 1557 tandem pervenit, et post omnes angustias et incommoda, quae in Polonia pati coactus erat, nonnihil aegrotare coepit. Scripsit etiam finalem relationem de missione sua ibi expleta eamque 7 III 1557 per auditorem suum, Iacobum Livrieri, summo pontifici misit⁹⁴. In Urbe non prius comparuit quam die 20 Iunii, neque amplius ex ea discessit. Quamquam postremos vitae annos in dioecesi sua curae animarum se dedendo transigere cupiebat⁹⁵, Paulus IV tamen eum tamquam intimum secretarium suum Romae retinuit⁹⁶. Interea, 20 VII 1558, Lippomanus dioecesim suam Veronensem nepoti suo Augustino Lippomano cessit, cui iam pridem coadiutoriam eiusdem episcopatus Veronensis impetraverat⁹⁷, cum se iterum Bergomum transtulisset⁹⁸.

Locus, quem Lippomanus in curia pontificia obtinebat, temporis decursu, cum praesertim card. Carolus Carafa in offensam pontificis cecidisset, maximi momenti factus est. Ipse enim tunc secretariis pontificiis est praepositus,

⁹⁰ Cfr. N. 123.

⁹¹ Vide N. 71.

⁹² Cfr. N. 119.

⁹³ Quid de nuntiatura Lippomani coaequales eius et posteriores rerum gestarum studiosi senserint, vide Wojtyńska PP, p. 101-104.

⁹⁴ Vide N. 121-123.

⁹⁵ Cfr. N. 128.

⁹⁶ Cfr. Ancel SPP, p. 23.

⁹⁷ Vide N. 120, 122.

⁹⁸ Gulik-Eubel HC III, p. 132. Minuta brevis in AV, Arm. 42, ms. 11 f. 293v.

qui res publicas nomine papae moderabantur⁹⁹. Nihilo tamen minus, et quamvis semper primus candidatus dignitatis cardinaliciae ab omnibus existimatus sit¹⁰⁰, Paulus IV eum sacra purpura non donavit. Ioannes Alberigo arbitratur potissimam huius rei causam fuisse illegitimam Lippomani originem, propter quam severo pontifici gente Carafarum orto ad hanc amplissimam dignitatem idoneus non videbatur, licet impedimentum stricte iuridicum revera defuerit, nam Lippomanus legitimatus erat¹⁰¹.

Cum rebus Poloniae Lippomanus usque ad finem vitae se arcte coniunctum esse sentiebat. Ipse enim effecit, ut anno 1558 Hosius Romam vocaretur¹⁰². Ipse etiam diutissime impediēbat episcopi Iacobi Uchański ex Chelma Vladislaviam translationem, quod res vicecancellarii Przerembski, a rege ad sedem Chelmensem nominati, per se difficiliores reddebat¹⁰³. Ipse denique tristioribus in dies nuntiis de statu religionis catholicae ex Polonia advenientibus commotus, composuit et Paulo IV obtulit celebre opusculum suum, *Obiettioni contro il Re di Polonia* inscriptum, quod nullis fere factis mutationibus in durissimum sane in tota historia relationum Poloniae cum Sede Apostolica intercedentium breve admonitorium Pauli IV ad Sigismundum Augustum prima parte anni 1559 insertum est¹⁰⁴.

Obiit Romae 15 VIII 1559, triduo ante mortem papae, cuius fidele simulacrum atque imago et diligentissimus adiutor atque administer erat¹⁰⁵. Sepultus est in ecclesia S. Catharinae Funariorum¹⁰⁶. Rumor, qui tunc Romae spargebatur, nuntiabat mortem nuntii olim in Polonia praematuri obitus Pauli IV, ea maxime permoti, causam fuisse¹⁰⁷.

⁹⁹ Ancel SPP, p. 23. Remuneratio eius erat 100 scutatorum, sicut salaria cardinalium (Roma, AS, Camerale I, Depositeria generale, ms. 1789 f. 65v).

¹⁰⁰ Cfr. Avviso di Roma, 18 XI 1558 (BV, Urb.Lat. 1038 f. 109r; cfr. ibidem ms. 1039 f. 62r).

¹⁰¹ Alberigo, p. 76.

¹⁰² Vide eius litteras ad Hosium, 30 IX, 29 X, 23 XII 1557 et 9 III 1558 datas (cfr. N. 130 et Hipler-Zakrzewski HE II, p. 880, 907, 933, 955).

¹⁰³ Cfr. epistolam Lippomani ad Hosium, 23 XII 1557 datam, et litteras Przerembski ad Hosium, 31 III 1558 datas (Hipler-Zakrzewski HE II, p. 933, 958).

¹⁰⁴ Breve editum est a Raynaldo (XIV, p. 599-601). Autor "Obiectionum" olim putabatur fuisse Bernardus Bongiovanni, nuntius in Polonia a. 1560-1563 (ita eorum editor Rykaczewski, p. 95-96), accuratior tamen rerum, quae in opusculo tractantur, exploratio omne dubium excludit nosque affirmare iubet auctorem eius Lippomanum fuisse. Utrumque supranominatum scriptum in appendicibus voluminis actorum nuntiaturae publicabitur.

¹⁰⁵ Renatus Ancel (PC, p. 717) arbitratur litteras gratulatorias Lippomani ad Paulum IV, 29 V 1555 datas (vide N. 2), ab eodem papa pro ratione agendi per totum pontificatum suum habitas fuisse.

¹⁰⁶ Hodie iam partim deletam inscriptionem lapidis sepulcralis ita redintegrat Tacchella (PEV, p. 30): "ALOYSIUS LIPOMANUS EPISCOPUS BERGOMENSIS HIC DIEM ULTIMUM EXPECTAT. VIXIT ANNOS LXIII. OBIIT DIE ASSUMPTIONIS GLORIOSISSIMAE VIRGINIS MARIAE MDLIX". Cfr. *Necrologium Romanum*, in BV, Vat.Lat. 7871 f. 183r.

¹⁰⁷ Vide *Avviso di Roma*, 19 VIII 1559 (BV, Urb.Lat. 1039 f. 71v).

2. De scriptis ad nuntiaturam Aloisii Lippomano pertinentibus.

Huiusmodi scripta duplicis sunt generis: alia quae ad nuntium data erant, alia quae ex eius cancellaria provenerunt. Utriusque generis scripta (originalia et minutae vel registra eorum, quae ex cancellariis profecta sunt) tam in tabulario nuntii quam in archivis illorum, cum quibus ei commercium epistularum intercedebat, plerumque servari solent. Itaque si privatum **tabularium Lippomani** ad nostram usque aetatem asservatum esset, procul dubio omnia illa scripta ibi facile reperire potuissemus. Sed res, proh dolor, se aliter habuit. Quod tamen nuntius noster omnia acta et epistulas ad nuntiaturam suam Polonam pertinentes diligenter colligebat atque accurate ordinabat et separatim disponebat, eius rei vel testes esse possunt frequentes mentiones in duabus collectionibus occurrentes, quae quidem in cancellaria eius confectae erant, sed solum in apographis eiusdem temporis ad nos pervenerunt.

Quarum collectionum maximi sane est momenti liber registorum, in quem nuntius epistulas suas ad summum pontificem Paulum IV eiusque nepotes Carolum et Ioannem Carafa, quibus negotia Polona in Curia Romana concredita erant, missas, tum originales illorum instructiones ac responsa, servato temporis ordine vel ipse referebat vel ab aliis referri curabat. Registrum illud ("Registro delle lettere ricevute per le legationi di Germania et di Polonia, e susseguentemente delle risposte, et prima per la legatione di Germania") ad nostram usque aetatem pervenit in eiusdem fere temporis apographo, quod mandatu Ioannis de Berzosa, bibliothecae Romanae Philippi II regis Hispaniarum praefecti, confectum et deinde sexto volumini eius collectionis (Libros de Berzosa), nunc in sectione Secretaría de Estado in **Archivo Generali Septimancae** in Hispania asservatae, insertum est. Quod registrum, minutis litteris in 148 paginis "in folio" accuratissime transcriptum, singulorum capitum summaris (alia manu exaratis) in marginibus instructum¹⁰⁸, est haud dubie ex fontibus ad hanc editionem nostram apparandam utilibus pretiosissimum illius temporis monumentum, Polonis rerum gestarum studiosis inde ab anno 1894 iam notum¹⁰⁹, sed hucusque typis non editum et ab historicis vix usurpatum¹¹⁰. Inversus ordo transcribendi (primum enim transcriptae apparent epistulae ad missionem Polonam spectantes,

¹⁰⁸ Simancas, AG, Estado, legajo [volumen] 2008 f. 145r-219r. Collectionem hanc breviter descripsi et de auctore eius pauca dixi in ANP II, p. XXVIII.

¹⁰⁹ Documentum hoc detexit et primum descripsit Iosephus Korzeniowski, Expeditionis Romanae particeps, cfr. Wojtyska ANP I, p. 133-134.

¹¹⁰ Ipse usus sum eo a. 1968-1970, cum librum de relationibus Poloniae cum Sancta Sede intercedentibus appararem (cfr. Wojtyska PP, p. 7 et passim). Acta nuntiaturae Germanicae ex hoc registro de prompta edidit Goetz, NBD I/17, p. 95-177.

deinde titulus¹¹¹ et tandem post titulum scripta ad praecedentem missionem Germanicam pertinentia collocantur) demonstrare videtur primitivum registrum Lippomani duobus fasciculis constitisse: titulum et res Germanicas in primo, res Polonicas - sine titulo - in altero descriptas fuisse. Manifestum est scriptorem Hispanicum laborem suum ab altero fasciculo incepisse. Exemplar hoc ex registro, non autem ex singulis scriptis confectum esse, annotationes, ab ipso nuntio ante nonnullas epistulas positae, testantur, ex. gr: "La scritta in risposta dell'ante registrata al Signor Conte" (f. 191r), "Breve di Sua Santità datomi da Mons. Delfino" (f. 129r) etc.

Registrum continet integrum litterarum commercium, quod nuntio cum Curia Romana (cum papa et nepotibus) de rebus ad missionem suam pertinentibus intercedebat, et unicum, ad dies nostros asservatum, textum instructionis a cardinalibus Farnese et Puteo exaratae¹¹². Desunt autem in eo facultates et brevia commendaticia et aliquae epistulae nuntii, de negotiis particularibus (imprimis beneficialibus) tractantes, quarum numerus vix stabiliri potest. Pars earum in originalibus, de quibus tractabitur infra, servata est. Notandum est inter eas non inveniri epistulas, exceptis duabus (N. 56 et 77), in registrum relatas. Ex eo, quod in registro alterius earum deest "postscriptum" nuntii manu propria exaratum, quod in epistula originali adest¹¹³, conicere possumus epistulas Lippomani vel ex minutis, antequam singulae epistulae in forma nitidiore confectae essent, vel - quod veri similis esse videtur - ex earum posteriore collectione in librum registorum relatas fuisse. Epistulae plerumque fideliter transcribebantur, constanter tantum mutabantur aliquorum verborum exitus, ex. gr. -tia ("reverentia" in originali) in -za ("reverenza" in registro) et inducebantur plures elisiones vocalium (ex. gr. "Di Augusta" in orig., "D'Augusta" in reg.); constanter etiam subscriptio nominis nuntii in registris abbreviabatur. In paranda editione actorum nuntiaturae Lippomani ex codice Septimancensi, praetermisi epistulas ad missionem eius Germanicam tantum pertinentes, illas autem, quae etiam locos de rebus Polonicis tractantes continebant, edere constitui, locis ad Germaniam spectantibus, qui ab Helmodo Goetz in *Nuntiaturberichte aus Deutschland* publicati sunt, in epitomen coactis¹¹⁴.

Altera collectio scriptorum, ex voluntate ipsius nuntii - ut videtur - concinnata, erat copiarium, quod interea "Corpus Lippomani" vocare placet. Quod constabat ex selectis exemplaribus annexorum, quae nuntius Romam mittebat, ut Curiam de rebus Polonicis melius edoceret et consilia in expediendis iis capienda faciliora efficeret. Eius fundamentum vel, ut ita dicamus, axem efficiebant 16 scripta, litteris ad summum pontificem 21 VI 1556 datis (cfr.

¹¹¹ In f. 221. Scripta ad missionem Germanicam spectantia posita sunt usque ad f. 252v. Sequuntur exempla epistularum "Cleri Toletani".

¹¹² Exstant etiam (in f. 176r) unae litterae ipsius Putei ad Lippomanum 7 I 1556 datae (vide N. 66).

¹¹³ Cfr. Simancas, AG, Estado, leg. 2008 f. 174v-175r et BV, Barb. Lat. 5715 f. 22r-23r.

¹¹⁴ Goetz NBD I / 17, p. 95-177. Qui etiam in speciali commentario publicavit et summatim descripsit instructionem Lippomani ad Poloniam spectantem (vide Goetz NLP, p. 332-337).

N.100) adiuncta, ex quibus solummodo *Liber de Ecclesia Andreae Fricii Mo-
drzewski et acta processus Iudaeorum Sochaczewiensium*, una cum annexis
epistulis Nicolai Dzierzgowski et Lippomani ad papam et Andreae Sieprski
ad nuntium datis, in collectionem postea confectam inclusa non sunt. Scripta
haec - litteris "A", "B", "C" etc. signata - complectebantur acta processuum
Ioannis Drohojowski et Andreae Zebrzydowski (cfr. A. 18 et 19), responsiones
capitulorum (cfr. N. 98), excerpta ex historia Polona et legibus Polonis contra
haereticos latis (vide in textu, notam 460), residuam partem documentorum
ad causam Iudaicam spectantium et memorialem libellum Ioannis Tarnow-
ski, mense Iunio a. 1556 archiepiscopo Dzierzgowski et nuntio porrectum (cfr.
A. 23). Quae omnia documenta, antequam Romam missa essent, transcripta
et in registrum relata, una cum selectis posterius confectis apographis epi-
stularum commercii, quod Lippomano cum Polonis (Ioanne Drohojowski, Ni-
colao Radziwiłł, Ioanne Przerembski, Stanislae Hosio) intercedebat, cum fal-
sis litteris nuntii ad Petrum Contarini (A. 28) et relatione de synodo Lovi-
ciensi ac confessione fidei, quae in illa recepta erat (N. 113 et A. 30), tempo-
re, quo Lippomanus munus suum in Polonia absolvit, collectionem effecerunt
circa 35 documenta continentem, quae - ut mentiones infra adductae indicare
videntur - transcripta et in unum eundemque librum relata sunt.

Sed et hic liber ad aetatem usque nostram non pervenit. Servata tamen
sunt, non semper completa, ex eo confecta apographa, quibus in antiquissi-
mis codicibus - res notatu digna - praemissa sunt exempla epistularum ad
tertiam partem Concilii Tridentini (a. 1561-1563) spectantium. Vetustissi-
mum eiusmodi apographon in **Bibliotheca Ambrosiana Mediolani** serva-
tur et secundam partem accuratissime concinnati copiarum, D. 175 inf. signa-
ti, efficit (f. 109r-184v). Aditus ad hunc codicem propter diutinam, iam ali-
quot annos perdurantem aedium bibliothecae Mediolanensis reparationem
est nunc praeclusus. Ipse eum in manibus habui a. 1968. Cum tamen neces-
sitas documenta in eo contenta publicandi tum nondum prospiceretur, oppor-
tunum tantummodo arbitratus sum res Polonicas in eo repertas in indicem
referre et "microfilmicas", quas vocant, taeniolas supranominati memorialis
libelli Ioannis Tarnowski, in quem explorandum tunc incumbere, et mino-
rum quorundam scriptorum assecutus sum. Quae omnia huius praesentis
editionis fundamentum efficiunt, ad reliqua vero publicanda eorum exem-
plaribus (A. 18-19, vide infra) vel aliis apographis ex primitivo "Corpore Lip-
pomani" confectis (praesertim ex APUG, vide infra) usus sum. Quod apogra-
phon Mediolanense ex originali copiarum, speciem libri habente, confectum
sit, hoc testatur adnotatio scriptoris, qua suppletur informatio de causis,
propter quas Lippomanus interrupit vel interrumpi iussit transcriptionem
amplissimi responsi, quod Nicolaus Radziwiłł 1 IX 1556 ad litteras suas de-
dit (vide notam de origine scripti tractantem in N. 112). Idem enim scriptor
in principio f. 163v scribit: "Qui nell'originale mancano 16 carte, non so se
parte della presente lettera, ovvero altre" - quod praeterea demonstrat nun-

tium initio in animo habuisse longam epistulam Radivillii ex toto transcribi iubere, spatio vacuo ad hoc relicto, postea tamen ab hoc consilio destitisse, adnotatione de causis interrupti laboris introducta.

Datum confectionis apographi Mediolanensis coniectari forsitan potest ex duplici et consulto - ut videtur - facta corruptione nominum priorum in manuscripto occurrentium, quarum prima ad acta processus Ioannis Drohojowski spectat. Nam scriptor apographi pro formula "Ioannes epus Vladislaviensis" semper substituit formulam "Iacobus epus Vladislaviensis", relicta tamen per negligentiam in depositionibus Matthiae Wargawski veri nominis abbreviatione: "Io." (f. 26v). Altera vero, probabiliter etiam consulto patrata, textus permutatio refertur ad ultimum documentum, quod non nisi in apographo Mediolanensi adest: scilicet ad breve Pii IV "ad episcopum Vladislaviensem in materia calicis" datum, quod re vera est permissio communionis sub utraque specie in Silesia usurpandae, episcopo Vratislaviensi Caspari a Logau 26 VII 1564 concessa (f. 183v-184v). Hoc scriptum in "Corpore Lippomani" certo contineri non potuit et indubitanter post a. 1564 a scriptore illuc introductum est, cum - auctoribus Hosio et nuntio Ioanne Commendone - de orthodoxia primatis Iacobi Uchański, Ioannis Drohojowski in sede Vladislaviensi successoris, iterum disputari coeptum esset. Scriptor enim, qui causam episcopi Drohojowski certo ignorabat, in actis processualibus nomina tam episcopi quam eius dioecesis in ultimo scripto, quod cum negotio Iacobi Uchański coniunxit, "corrigenda" esse duxit.

Manuscriptum Mediolanense procul dubio Romae exaratum est, ubi - ut videtur - originale "Corpus Lippomani" servabatur. Quo autem modo in Bibliothecam Ambrosianam translatum sit, difficile est stabilire, nisi detur potestas illud iterum diligenter explorandi atque examinandi, conici tamen potest documentum hoc una cum s. Carolo Borromaeo illuc demigrasse. Illud ibi inveniri Polonis historiae studiosis primum indicavit Achilles Ratti, Bibliothecae Ambrosianae a. 1888-1892 praefectus, postea nuntius in Polonia (1918-1921) et papa (Pius XI, 1922-1939)¹¹⁵. Hoc manuscriptum ad inquirendam ac penitus cognoscendam nuntiaturam Lippomani in Polonia expletam maximi certe est momenti, propterea quod non nisi in illo continentur acta processuum supranominatorum episcoporum. Processus Ioannis Drohojowski exeunte saec. XIX - ut videtur, a. 1889 a Iosepho Kallenbach - transcriptus et a Stanislao Zakrzewski 15/16 IX 1907 in usum Expeditionis Romanae Academiae Litterarum Cracoviensis cum originali collatus¹¹⁶, anno 1908 suppletus et locupletatus est apographo processum Andreae Zebrzydowski continente, minus accurate (a Ioanne Rutkowski?) confectus¹¹⁷. Utrumque apographum nunc servatur Cracoviae in Bibliotheca Academiae Scien-

¹¹⁵ Vide adnotationem in margine in apographo processus Ioannis Drohojowski in BPAN Cracoviae, ms. 8464 f. 1r.

¹¹⁶ Vide suam ipsius adnotationem sub textu supramemorati processus (ibidem, f. 31v).

¹¹⁷ Cfr. Wojtyńska ANPI, p. 131 et 138-139.

tiarum Polonae in speciali communi manuscripto 8464 (45 foliis constante), quod - cum ad exemplum originale accedere non potuerimus - fundamentum constituit eius in hoc volumine editionis.

Accuratior inquisitio reliquorum "Corporis Lippomani" apographorum demonstrare videtur exstitisse etiam aliud copiarium, secunda parte saeculi XVI confectum, hodie deperditum, quod a Mediolanensi differebat non solum eo, quod supra memorata scripta in illo deerant, sed etiam quod aderant alia, quorum ille scriptor nullam habuit rationem (epistulae ad papam et a papa missae in negotio episcopi Drohojowski, cfr. N. 60 et 89, exstant tamen ibi transumptae in actis supradicti processus eiusdem episcopi), et quod omnia in eo aliter ordinata ac disposita erant. Ad dies nostros asservatae sunt duae huius apographi versiones: altera curialis, ex collectione card. Mauriti de Sabaudia (1595-1657) proveniens, quae in "Raccolta Mongardino" in **Tabulario Publico Taurinensi** (Archivio di Stato) servatur, cod. 82 f. 293r-344v¹¹⁸, altera "Iesuitica", ex Collegio olim Romano profecta, partem efficiens collectionis scriptoris historiae Concilii Tridentini, card. Petri Pallavicini-Sforza (1607-1667), quae nunc in **Archivio Pontificiae Universitatis Gregoriana**e Romae custoditur (ms. 588 f. 101v-199r)¹¹⁹. Ambae versiones neque ordine disponendi, neque ratione ac modo scribendi inter se differunt (itaque plerumque repetunt eosdem errores, ex. gr. corrumpendo nomen dioecesis Vladislaviensis episcopi Drohojowski, quem "epum Vradislaviensem" appellant); desiderantur tamen in manuscripto Taurinensi responsiones capitulorum et epistula Ioannis Przerembski ad Lippomanum 8 VI 1556 data (N. 97 et 98), adest tamen memorialis libellus Ioannis Tarnowski, qui in manuscripto "Iesuitico" deest. Cum exemplar "Iesuiticum" magis completum sit et etiam antiquius esse videatur, et ab illo - ut videtur - omnia apographa posteriora dependeant: scilicet 2 Veneta¹²⁰, Tridentinum¹²¹ et ex parte Bar-

¹¹⁸ De origine huius collectionis cfr. Nicomede Bianchi, *Le materie politiche relative all'estero degli archivi di Stato Piemontesi*, Bologna 1876, p. 716-736.

¹¹⁹ Cfr. Hubert Jedin, *Der Quellenapparat der Konzilsgeschichte Pallavicinos*, Roma 1940, informatio de "Corpore Lippomani" legitur in p. 88.

¹²⁰ Venezia, BM, Ms. It. V 16 (5668) f. 270r-328v et Ms. It. V 49 (5592) f. 120v-204r. Ambo apographa sunt exemplaria XVII saeculo confecta, cum manuscripto "Iesuitico" aequalia (continent etiam epistulas ad Concilium Tridentinum pertinentes, ante documenta Lippomaniana collocatas), ambo pertinebant ad notos illos antiquitatum collectores Venetos: Amadeum Svajer (primum a. 1794 Bibliothecae Marcianae traditum est) et Apostolum Zeno (alterum, eidem bibliothecae traditum est a. 1821, cfr. C. Frati, A. Segarizzi, *Catalogo di Codici Marciani Italiani*, T. 2, Modena 1911, p. 248-249, 286). Alterum istorum apographorum codex esse videtur, quo a. 1733 in editione sua usi sunt Edmundus Martène et Ursinus Durand ("Concilium Lovitiense Anni MDLVI", continens "Formulam fidei", "Responsiones capitulorum" et 2 epistulas: N. 101 et 112), a. 1751 iterum typis editum suppletum fragmento litterarum Lippomani ad Ioannem Carafa de 22 IX 1556 ("ex codice Petri Gradenigo, senatoris Veneti") a Ioanne Dominico Mansi (cfr. Lina Livan, *Notizie d'arte tratte dai notatori e dagli annali del N. H. Pietro Gradenigo*, Venezia 1942, p. V-VI).

¹²¹ Servatur Tridenti in "Biblioteca Comunale", cod. 89 f. 100r-127v. Similiter ac praecedentia, inscribitur: "Lettere diverse in materia del Concilio di Trento". Sunt exemplaria saec. XVIII confecta, procul dubio ex "familia" apographorum Gregoriana provenientia.

berinianum¹²² et 2 Burghesiana¹²³ (haec ultima cum exemplaribus epistularum Concilii iam non coniunguntur, sed partem efficiunt manuscriptorum variarum relationum collectiones continentium), hoc exemplari tamquam fundamento hic usi sumus in edendis documentis, ad quae Mediolani nobis non patuit aditus.

Familia, ut ita dicamus, Gregoriana "Corporis Lippomani" iam saeculo XVIII detecta erat a primo tabulariorum Italicorum exploratore Polono, Ioanne Baptista Albertrandi, qui a. 1777-1783 mandatu regis Stanislai Augusti perquirebat et explorabat monumenta in scriptis relictis, ad historiam nationis Poloniae spectantia, quam Adamus Naruszewicz eodem ipso tempore scribebat¹²⁴. Ex comparatione apographorum tunc ab illo confectorum cum manuscriptis "Corporis" ad nostra tempora asservatis clare patet eum primo invenisse et transcribere coepisse documenta ex codice Barberiniano provenientia (quod expresse notatum est in apographo litterarum Lippomani ad episcopum Drohojowski 1 XII 1555 datarum)¹²⁵, deinde vero in Collegio Romano detexisse manuscriptum Gregorianum, ex quo omni dubio procul exscripsit initium epistulae Nicolai Radziwiłł ad nuntium scriptae (vide notam originem scripti explanantem ad N. 112), quae in dispositione documentorum "familiae" Gregoriana ibi incipit, ubi desinunt apographa ex codice Barberiniano concinnata.

Priusquam exempla ab Albertrandio transcripta - post longam in Polonia peregrinationem et finalem Lutetiam Parisiorum translationem, quo una cum bibliotheca principum Czartoryski migraverunt - omnino periissent, Erasmus Rykaczewski illa a. 1864, Latinis in lingua originali relictis, Italicis autem in idioma Polonicum conversis, publicanda curavit¹²⁶. Haec tamen versio parum accurata, mendosa et omissionibus plena esse apparet, quod praesertim ex duabus epistulis principis Ioannis Carafa 30 V et 6 VIII 1556 ad Lippomanum datis clare perspici potest, quae in "Corpus Lippomani" insertae non erant et autumnali tempore a. 1781 ab Albertrandio ex collectione Theatinorum Neapoli servata, quam reperire non potuimus, transcripta sunt¹²⁷.

Mirum esse videtur, quod Lippomanus in suum "Corpus" non incluserit relationem de Polonia (N. 118), quam exeunte mense Ianuario a. 1557, brevi

¹²² BV, Barb.Lat. 851 f. 246v-304r. Accurate confectum, fortassis iam sub finem saec. XVI, continet supranominatas epistulas Concilii et in fine 11 prima scripta "Corporis Lippomani".

¹²³ Servantur in AV: ms. F. Borghese I 163-169 continet in f. 56r-86v non nisi 6 prima scripta, posterius vero ms. F. Borghese I 825-827 f. 4r-743r - 12 ultima. Ambo manuscripta valde neglegenter confecta sunt ex exemplari Gregoriano, cuius rei testis est ipsa capitulorum dispositio.

¹²⁴ Vide H. D. Wojtyska, *Jana Albertrandiego poszukiwania materiałów do historii Polski we Włoszech w latach 1777-1783* [Rerum ad historiam Poloniae spectantium Ioannis Albertrandi exploratio in Italia peracta], typis exscribendum in "Archiwa, Biblioteki i Muzea Kościelne" (Lublin).

¹²⁵ Vide Rykaczewski I, p. 3 (cfr. N. 58). Continet praeterea easdem variationes in modo scribendi eosdemque errores.

¹²⁶ Vide Rykaczewski I, p. 3-64.

¹²⁷ Vide N. 93 et N. 109, cfr. Wojtyska, ut supra.

antequam ex Polonia discessisset, scripserat. Quae relatio opus esse videtur ex memoria, festinanter, sine ulla deliberatione conscriptum, in quo omnis subtilior dispositio deest, errores ad historiam Polonam spectantes lectoris animum vehementer percutiunt simulque testantur auctorem operibus Dlugossii et Cromeri, quae prius sine dubio prae manibus habuerat¹²⁸, minime usum esse. Nimia etiam eius brevitatis et praetermissio magni momenti negotiorum, quae in epistulis tractantur, palam ostendunt eam non esse nisi imperfectam et minime completam adumbrationem amplioris operis, quod nuntius fortassis scribere cogitabat. Ad dies nostros servata sunt aliquot eius apographa, quorum illud, quod nunc Mediolani servatur (Bibl. Ambrosiana, ms. D. 208 inf.), forsitan antiquissimum et optimum esse ostenderetur, nisi per supra memoratam aedium bibliothecae Mediolanensis diutinam reparationem aditus ad illud omnino praeclusus esset. Albertrandi - ut ex adnotationibus editorum eiusdem relationis clare patet - duo diversa eius apographa ex codicibus Vaticanis confecisse videtur, quae olim ad card. Petrum Ottoboni (BV, Ottobon.Lat. 2433, ed. a Iuliano Niemcewicz)¹²⁹ et principes Urbini (hodie in BV, Urbin.Lat. 822, ed. ab Erasmo Rykaczewski in versione Polona)¹³⁰ pertinebant. Omnium manuscriptorum, quae reperire potuimus exemplar Ottobonianum procul dubio longe optimum nobis existimandum esse videtur¹³¹.

Exiguus tantum numerus documentorum ad nuntiaturam Polonam Lippomani pertinentium ibi asservatus est, ubi maxime sperari atque expectari possent, scilicet **in collectionibus secretariatus olim pontificii**, cui originales epistulae et relationes nuntiorum imprimis destinatae erant. Non nisi paucissimae epistulae et paulo plura scripta annexa, sparsa et dissipata servata sunt in Tabulario Arcis s. Angeli (AV, A.A. I-XVIII) et in codice Barberiniano Latino 6507 Bibliothecae Vaticanae, qui est unicum ad nostram aetatem asservatum manuscriptum, maiorem originalium epistularum numerum continens, quae sub Paulo IV pontifice maximo in Curiam Romanam missae erant. Inter alia in illo inveniuntur in f. 9r-18r exempla, in cancellaria Lippomani concinnata, confessionis fidei in comitiis regni Poloniae a. 1555 receptae, epistulae nuntii ad Nicolaum Radziwiłł datae et originales litterae episcopi Andreae Zebrzydowski ad Lippomanum scriptae (vide N. 75, 81 et A. 2). Omnia haec scripta in pagina inscriptioni nominis destinata brevibus adnotationibus ad auctorem, materiam ac datum litterarum necnon diem, quo Romam pervenerunt, spectantibus instructa sunt,

¹²⁸ Cfr. N. 100.

¹²⁹ Vide adnotationem de origine scripti tractantem ad N. 118.

¹³⁰ Vide adnotationem E. Rykaczewski in eius editione in p. 64.

¹³¹ Vide notam de origine documenti tractantem in N. 118. Notatu dignum esse videtur exemplar, non admodum accurate confectum, sed proveniens procul dubio ex Archivio Magherini-Graziani oppidi Tiferi in Umbria (hodie Città di Castello), ubi servantur collectiones Antonii Mariae Graziani, secretarii card. Francisci Commendone. Quod exemplar ab Instituto Historico Polonico Romae ab antiquario Londinensi Richardo Hatchwell recens emptum est (vide adnotationem in ms. 1/1, p. 1).

subter autem leguntur breviata signa nominum "Ant[onio]" vel "Pier[o]", duorum secretariorum, de quorum personis nil aliud detegere potui, quibus munus commissum erat epistulas et alia scripta pontifici et nepotibus referendi¹³².

Haec potissimum necessitas materiam epistularum paucis verbis referendi et concinne exponendi causa erat, ob quam compendia et summaria, a praefatis Antonio vel Petro signata, conficiebantur epistularum, relationum, varii generis novitatum, quae ex variis Europae partibus in Curiam Romanam perveniebant et quae postea in duobus voluminibus, inscriptis "Copia di lettere ed avisi, mandati da Nunzi della Santa Sede al Card. Carlo Carafa ed al Duca di Pagliano dal 1555 a tutto il 1557", inclusa sunt et nunc in BV, Barb.Lat. 5805 et 5806 servantur. Exstant in huiusmodi scriptis excerpta et summaria maximi momenti epistularum Lippomani, inter quae praecipue notandus est totus fasciculus in ms. 5805 in f. 74r-76v, i.a. continens consilium, quo suadetur papae, ut lectionem totius epistulae 9 XI 1555 datae, non solum eius summarium "exaudiat" (cfr. notam de origine scripti tractantem ad N. 52), et imprimis pretiosum compendium litterarum de 21 VI 1556, cum annotatis in margine singulorum capitum decisionibus papae, quae deinde ad parandam responsonem materiam suppeditabant, in ms. 5806 (f. 183r-184v, cfr. N. 100).

Brevia autem pontificia fere omnia, ad Lippomanum et ad Polonos de negotiis a nuntio expediendis data (praesertim brevia commendaticia), servata sunt in voluminibus 2 et 4 seriei Vaticanae, minutas et exemplaria epistularum continentis, "Brevia ad Principes" nuncupatae (AV, Armarium 44), ex qua paene omnia iam saec. XVIII a Raynaldo edita sunt, litteras vero credentiales ad Sigismundum Augustum datas et 4 alias Augustinus Theiner publicandas curavit. Hucusque tamen non sunt publicata - in seriem "Pauli IV brevium minutae" inserta (AV Arm. 42, vol. 6-12) - breve ad Lippomanum, 1 VIII 1556 datum (in ms. 8, cfr. N. 106) et pretiosa minuta facultatum (in ms. 7, cfr. N. 96).

Maxima sane collectio, quamquam etiam ex reliquiis constans, originalium litterarum Lippomani, inter quas exstant quoque aliquot epistulae in supranominato summario in epitomen coactae, ad dies nostros asservata est non in vetere tabulario Curiae Romanae, sed in **gentis olim Carafarum tabulario**, quod nunc in Bibliotheca Vaticana collocatum invenitur. Parvus, quamquam optime conservatus, codex Barberinianus Latinus 5715 continet 22 epistulas ipsius Aloisii et eius cognatorum, ex quibus 12 (et 4 scripta annexa) a nuntio ad summum pontificem et card. Carolum Carafa datas, de re-

¹³² Non occurrunt personae his nominibus appellatae in opere Renati Ancel de secretariatu pontificio sub pontificatu Pauli IV (vide Bibliographiam).

bus Polonicis tractantes. Aliquas ex his epistulis in opere suo de processibus haereticorum Veronensium scripto Laurentius Tacchella publicavit¹³³.

Omnes asservatae epistolae originales Lippomani, quas ad Stanislaum Hosium, secum, cum munere nuntii fungeretur, amicitia iunctum, dederat, numero 15, in uno eodemque volumine simul collectae, servantur in **Forschungsbibliothek Gotha**, ms. Chartaceum A. 181. Fortunam huius et duorum aliorum voluminum originalis epistularum commercii episcoporum Varmiensium, a Suecis durante bello vulgo Septemtrionali dicto Frauenburgo furto ablati, narrat adnotatio in ms. Chart. A. 384 exarata, quae nuntiat haec manuscripta "emisse consiliarum aulicum Bollhagen mense Julio 1722 Stettini a Michaele Friderico Quaden, atque solvisse pro iis 100 Species-thaler, iussu et auctoritate Ducis Friderici II Anhalt Zerbst"¹³⁴. Viginti annis post, fere omnes has epistulas typis edidit custos ducalis bibliothecae Gothanae, Salomon Cyprianus, exeunte autem saec. XIX eis iterum Hipler et Zakrzewski in editione sua usi sunt. Finito altero omnium gentium bello, aditus ad bibliothecam a moderatoribus orientalis Germaniae partis, quam Rempublicam Democraticam vocabant, exteris rerum gestarum studiosis praecludebatur. Ipse non prius quam a. 1992 ad illam accedere potui.

Praeter omnem expectationem, epistolae Lippomani - excepta una minoris momenti - non sunt repertae in copiario commercii epistularum eius amici Pauli Tiepolo, tunc oratoris Veneti Vindobonae. Hoc copiarium, quod in collectionibus Cicogna (ms. 2545) in **Bibliotheca Correr Venetiis** nunc servatur, continet tamen aliquot annotationes, quae testantur nuntio in Polonia cum collega suo commercium quoddam intercessisse, saltem quod attinet ad itum et reditum litterarum Venetias versus et ex Venetiis mittendarum¹³⁵. Minoris etiam momenti quam sperabatur fuit exitus explorationis in **Bibliotheca Querini Stampalia** peractae, in quam - propter affinitatis vincula inter Lippomanos et gentem Querini saec. XVII inita - devenit quoque pars tabularii familiae nuntii nostri, una cum pretiosa collectione documentorum, in membrana scriptorum, continente 47 diplomata, praesertim pontificia, pro personis cum nuntio nostro proxima consanguinitate coniunctis prolata (Classe I, cod. 28). Documentum huius collectionis, numero 16 signatum, est diploma originale facultatum nuntio 6 VI 1556 concessarum (N. 96), cuius difficillimae factu imagines "microfilmicae", ex singulari et officiosa bibliothecae moderatorum benevolentia, confici potuerunt, ita ut hoc pretiosissimum nuntiaturae Lippomani monumentum comparari posset cum minuta in Tabulario Vaticano servata, in qua pars facultatum Lippomano datarum ex-

¹³³ Vide Tacchella PEV. Quae tamen epistolae non observatis regulis ac normis edendi hodie receptis editae sunt. Non annotavi sat ampla fragmenta aliarum epistularum Lippomani in notis ab auctore positarum.

¹³⁴ Cfr. Hipler-Zakrzewski HE I, p. XVII.

¹³⁵ Quod confirmatur supranominatis litteris eiusdem Tiepolo ad Lippomanum, Augustae 23 IX 1555 datis (Venezia, BC, ms. Cicogna 2545 f. 5v-6r) et mentione facta de cursore Lippomani Romam proficiscente (cfr. N. 100, annotationem 613).

tremo temporis momento erasa apparet. Qua re potestas nobis datur non solum pervestigandi formulam facultatum eiusque institutionem et progressionem ante et post Concilium Tridentinum¹³⁶, sed etiam observandi, quantum vim et momentum in earum ambitum ac magnitudinem varia rerum ac temporum adiuncta, summi etiam pontificis et ipsius nuntii persona exercere potuerint (exempli gratia in amotione facultatis legitimandi prolem illegitimam)¹³⁷.

Duae ex asservatis epistulis theologi nuntio adiuncti, Alfonsi Salmerón, in collectione eius autographorum, annos 1542-1580 complectentium, in sectione "Epistolae Nostrorum" (ms. 61) **Principalis Archivi Romani Societatis Iesu** (ARSI) facile reperiri potuerunt. Nullo tamen modo accedere potuimus ad fragmentum unius ad dies nostros asservati responsi s. Ignatii ad eius epistulas, quod una cum illis in serie *Monumenta Historica Societatis Iesu* editum est. Propterea contenti esse debuimus simplici eius nova editione, similiter ac cum dedicatione quinti voluminis operis *Vitae Sanctorum* regi Ferdinando facta et epistulis Nicolai Radziwiłł et Stanislai Hosii ad Lippomanum datis etiam factum est, quas ex editionibus contemporaneis rursus typis imprimendas duximus (vide N. 43, 112, 124).

In tabulariis Polonis paucissima tantum scripta cum Lippomano coniuncta asservata sunt. Praeter duas epistulas ad Hosium missas, quae - ex Polonia Gotham non evectae - una cum aliquot minutis et apographis aliarum in principali collectione huius episcopi in Tabulario Archidioeceseos Varmiensis Olstini et in Bibliotheca Czartorysciana Cracoviensi servantur (vide N. 82 et 130)¹³⁸, unice maioris momenti collectiones sunt: 1) copiarium documentorum, in cancellaria regia Sigismundi Augusti confectorum (ex collectione secretarii regii Stanislai Górski), in Bibliotheca Jagellonica servatum (ms. BJ 175 I), in quo - praeter epistulas Pauli IV et card. Alexandri Farnese ad regem et tres instructiones ad usum oratoris Poloni Romam missi, Stanislai Maciejowski, asservatum est unicum exemplar Latinum falsae epistulae Lippomani ad Petrum Contarini, ex quo origo huius fraudis plus minusve stabiliri potest (cfr. A. 28)¹³⁹; 2) non explorata hactenus acta capituli archidioeceseani Gnesnensis, quae originem pretiosarum "Responsionum capitulorum" abunde illustrant, in Tabulario Archidioeceseano Gnesnensi custodita

¹³⁶ Cfr. facultates Zachariae Ferreri a. 1519 datas (ed. Wojtyska ANP II, p. 19-29), eas, quas in hoc volumine publicamus (N. 96), et eas, quae Iulio Ruggieri a. 1566 concessae sunt (ed. Bogaczewicz-Glema ANP VI, p. 21-27).

¹³⁷ Haec quaestio non tangitur ab H. Goetz, qui non nisi minutam Vaticanam in manu habuit (cfr. Goetz NLP, p. 338-345).

¹³⁸ Cfr. indicem fontium, quibus in hac editione usi sumus. Omnium haud dubie pretiosissima sunt originalia acta synodi Loviciensis in BCz ms. 2242 servata (cfr. A. 30).

¹³⁹ Non Lippomano autem - sicut earum editor Korzeniowski affirmat (OR, p. 425-427) - sed Camillo Mentovato vel etiam Berardo Bongiovanni destinatae erant litterae Stanislai Orzechowski, quae inveniuntur in exemplari ms. BJ 59 f. 547r - 548r.

(cfr. A. 21)¹⁴⁰ et 3) imprimis unicam maioris momenti collectionem efficiens fragmentum copiarum XVII saec. confecti, i.a. continentis epistulas a primate Nicolao Dzierzowski datas et acceptas, quod in Bibliotheca Academiae Scientiarum Polonae in Kórnik prope Posnaniam invenitur (Bibl. PAN, ms. 254). In hoc manuscripto, quod olim gentis Opalinorum erat, conservatae sunt in apographis in f. 85r-95v epistulae archiepiscopi ad nuntium et papam datae et card. Iacobi Putei ad eum scriptae, quarum minutae et originales recentioris belli tempore igne consumptae sunt¹⁴¹.

Ingens scriptorum annexorum copia, quae Lippomanus undique colligebat et Romam mittebat, ut quantum fieri posset quaestiones cum munere suo coniunctae accuratius ac plenius illustrarentur, necnon opinio praesentis voluminis editoris, qui sibi firmiter persuasum habet publicata documenta penitus comprehendere atque intellegi posse, si una cum annexis edantur, effecerunt, ut numerus Appendicum huius voluminis extra modum excresceret. Publicamus enim hic i.a. utramque confessionem fidei - evangelicam comitalem et catholicam synodalem - , non solum ut ostendamus, quanti momenti in explendo nuntii nostri munere utraque earum fuerit, sed etiam ut lectori evidentius appareat, quantopere tempore illo viae fautorum et adversariorum reformationis ecclesiasticae in Polonia inter se diversae factae fuerint; publicamus mutationes in cultu ecclesiastico Gedani introducendas, ut per gradus evenientem transitum a cultu catholico ad evangelicum manifestiorem reddamus; publicamus etiam amplum memorialem libellum Ioannis Tarnowski, ut clarius demonstramus, quantopere flagitatio, magno cum clamore facta, trium, ut aiebant, concessionum (id est linguae nationalis in sacris, calicis in communione et abrogandi caelibatus ecclesiastici) in certamine inter duas partes principale instrumentum negotiandi fuerit; publicamus denique aliquas, quamvis ex parte iam editas, epistulas Hosii et aliorum, ut primi permanentis ac stabilis in Polonia nuntii pontificii actio et opera, studii ac diligentiae, sedulitatis ac fervoris, rigoris ac severitatis plena, melius pleniusque collustretur.

Quod ad principia et regulas editionis attinet, instructioni in primo tomo *Actorum Nuntiaturae Polonae* statutae et receptae plerumque obtemperamus. Cum tamen in multis recensionebus et iudiciis, quae de 6 voluminibus nostris hucusque editis iam apparuerunt, saepius postulatum sit, ne scripta iam typis divulgata - etiam in appendicibus - omnino omitterentur, cum aditus ad ea non ubique pateat¹⁴², in praesenti editione ab hoc puncto instructionis recedere decrevimus, et scripta maioris momenti ex toto publici iuris facimus, etiamsi in editionibus recentioribus iam typis impressa sint. Prae-

¹⁴⁰ Hac oblata occasione gratias agere cupio Rev.mo Doctori Mariano Aleksandrowicz, quod onus conficiendae et Romam mittendae "xerocopiae" libenter suscipere voluit.

¹⁴¹ Vide Pocięcha AMD, p. 38.

¹⁴² Vide ex.gr. recensione Augustini Borromeo, in "Rivista di Storia della Chiesa in Italia", 45 (1991), p. 200.

terea cum loci Sacrae Scripturae in textibus hic editis fere omnes ex Vulgata adducantur, ad eam, non vero ad editiones ac versiones recentiores lectorem remittimus, quod praesertim cum de psalmorum numeratione agitur, non parum momenti habet.

Henricus Damianus Wojtyska CP

Latine vertit Lucianus Olech